

**Dissertatio secunda de machinae humanae vitiis ad caput potissimum
relatis / [Christoph Friedrich Schnepff].**

Contributors

Schnepff, Christoph Friedrich.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Joh. Cunradi Reisii viduae, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mzfdmrtb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

24

DISSERTATIO SECUNDA

DE

MACHINÆ
HUMANÆ
VITIIS
AD CAPUT POTISSIMUM
RELATIS.

Quam,

AUTORITATE AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRÆSIDENTE

ELIA CAMERARIO,
PROF. ORD. MED. & CONS.

WIRT.

PRO LICENTIA

Eruditorum Examini submittit

D. Sept. MDCCXXVI.

CHRISTOPH. FRID. SCHNEPFFIUS,
Stutgardianus.

TUBINGÆ, Literis Joh. Cunradi Reissi Vidua.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30776016>



L. B. S.

Selegi pro Themate Disputationis Inauguralis istos Capitis Affectus, utpote occasionem subministrantes sufficientem Dominis Opponentibus, & Medicis Tironibus simul lucem aliquam præferentes. Faxit Deus ut feliciter omnia cedant!

In cubus jure suo ad spasmodicos refertur affectus, cum & subinde eorundem tristis soleat esse prodromus seu præcursor. Aggreditur vero ægrum dormientem, supino maximè in corporis situ, molesto præcipue insomnio ansam præbente vel concomitante, sentit æger præclusam sibi respirationem, sibique persuadet in ista somni turbulentia non plenè vigiliis redditus, incumbere præcordiis suis pondus, imò imaginatur sibi id pondus esse animal, cuius vel tangat pilos, nec tamen movere se possunt, quasi ligati ac torpidi, nec tussi, nec humida in bronchiis saburra molestante eos. Vellent equidem clamare, aliosque accersere, ad ferdam opem, sed edere vocem haud possunt, nec membra voluntatis imperio somnolento auscultant. Cæterum premens objectum putant se clarissimè & sensisse & tetigisse, & optime ejus distinctèque recordari, unde & Magicis sape artibus multa hic tribui audias, plerumque gratis, utut omnibus id casibus non ausim denegare, sed raris forsan admodum. Imò vix credunt ægri se dormivisse, ad minimum difficillimum foret vel ipsis, vel ex ipsorum relatione Medico somni ac vigiliarum confinia determinare, ac quid cuique ex iis tribuendum sit ex relatib. symptomatibus.

Interea magno tamen conatu reluctantes anxietatem patiuntur insignem, vix aliquid exprimunt soni queruli, lingua libera non est, fauces impeditæ ac strictæ, nec artus dirigere pro lubitu valent, donec discussio magis somno spiritibusque excitatis, ac quasi in canales blandius redeuntibus, quo ipso alacres insurgunt contra adversarium, quem amplius non sentiunt, jam satis loquaces in recensendis malis suis, motuque redeunte usque ad verbera intentata prementi corpori, sed quod jam se subduxit, quod tamen tetigisse se credunt eorum plerique. Cor quoque palpitat, imò tremit, ac soluto paroxysmo sudor sæpe atque languor & debilitas quædam subsequitur. Solvi verò ajunt citius paroxysmum, si nomine suo vocentur ægri anxi, quod credibile equidem, quoniam suo compellati nomine citius extricare se ex somno atque anxietate valent.

Pueri maximè & adolescentes hoc morbo corripiuntur, et si aliæ aëta-tes non excludantur, præprimis hypochondriaci, dediti ingluviei, ac ci-bo copioso, crapulæ, aut cibis flatulentis, crassis, viscidis, unde in primis viis cruditates ac flatus copiosi, fabri hujus affectus. Uti supra jam monitum in nonnullis Epilepsiam post se trahit, in plurimis tamen nihil post se periculi relinquit; cum Melancholicis, Maniacisque affectibus compli-cari ac combinari potest, pro gradu varietate magis vel minus metuen-dum malum; per emetica, purgantia, nervina, carminativa, aperientia, specifica nervos confortantia, antispasmodica, cinnabarina, diætæque ex-actionis observationem obviam malo pro re nata modis eundum est variis.

Accusatur potissimum passim diaphragmatis, partis musculosæ respi-rationi servientis oppressio, vel rectius forsitan stricturæ spasmodicæ, non hujus modo diaphragmatis, sed & constrictio aliorum musculorum respi-rationi, vocisque formationi dicatorum musculorum, & aliorum forsitan quædam paralysis, ac spirituum impeditus in eos influxus, unde immo-bilitas, ac sermonis difficultas.

Quod tamen alii deducunt à nervorum phrenicorum & recurrentium voci dicatorum obstructione, qui varios quoque spargant ramos in mus-culos labrorum ac maxillarum, quæ tamen modò dicta potius confirmant. Sive illa obstructio fiat per insinuationem viscidarum molecularum in ca-nales nerveos, sive per pressionem horum canalium à liquoribus stasin pa-tientibus, sive stricturæ à flatibus oriantur vel in primis viis tumultuanti-bus, vel ad ipsam penetrantibus sanguinis massam, ac penitiores viscerum recessus, ecquis enim flatuum miras satis eloquatur energias; favet verò his & modus decumbendi.

De idea corporis incumbentis multa audias ratiocinia, mitum vero non est phantasiam ex insomnio nondum eluctantem talia sibi fingere ac repræsentare, egregia quippe combinationum absurdarum per mirabiles ideas magistra, et si hic quoque affectus suis distinguatur gradibus, imò speciebus, cum insignes hīc quoque obtineant varietates, Symptomatibus talium affectuum nocturnorum haud parum variantibus, cumque aliis affectibus se complicantibus.

Apoplexia suam habet latitudinem, sunt, qui fulmine quasi tacti concidunt, ac subitò expirant; aliis lentius amittentibus animam, vel & ad se sensim redeuntibus. Cessat in Apoplexia influxus spirituum animalium in corpus reliquum, origine nervorum obstructa, hujus ergò obstructio- nis modus gradusque periculum mali determinat, prout intra vasa ad- huc coerciti humores apoplexiā cudunt, magis spasmodicam, vel extra vasa egressi præsentiore ac majori discriminē tubulis nervorum graves in- cumbunt indeque excludunt spiritus.

Aphoniam vocant primum apoplexiæ gradum, quanquam & illa potest esse diversa, vel à spasio, vel ab humoribus aut agrestis, aut ex- travasatis. Subitò tales vim loquendi amittunt, ubi rem substitisse sub- inde memini, in aliis longius progreditur malum, collabitur corpus, sen- sus evanescunt, in quibusdam tamen aphoniae casibus non omnino, sed saltem turbantur ac vacillant, obnubilatur Phantasia ac memoria, in aliis verò tollitur. Vidimus ista singula distinctim in variis casibus; ægris tam- men plenè restitutis, imò in uno paucas intra dies istos gradus observavi- mus, brevi post restituto, sine reliquo ullo vestigio, juvantibus medica- mentis robur naturæ.

Alii verè Apoplectici raro per gradus tales fiunt, quando igitur legimus in libris practicis sequentia, granum salis illis adspergemus, cum scil. dicitur: In secundo gradu Apoplexiæ constitui eos, qui supra dicta gravius paulò patiantur, in quibus somnolentia conniventibus oculis ad- sit, qui corruant, insigni in sensu motuque facta cessatione, flaccescere manus pedesque, elevataque membra ab altero mole sua mox relabi, ac- tiones animales aboleri, cum aliqua tamen latitudine, faciei colorem non mutari, nec sudorem nec frigus supervenire, respirationem ordina- rio suo cursu progredi, uti succedit dormientibus, ut tamen aliquando suspirent; pulsum non mutari, tardum, & naturali quasi similem; hos- que in clamatos ad se redire, vel à medicamentis excitari ac juvari, nec ta-

men restitui perfectè, succedente alterius lateris paralyssi, esseque obnoxios recidivæ.

Haud sanè frequenter æquè ista per omnia hac se ratione, cumque istis omnibus Symptomatum combinationibus habent; neque simul possent eorum nonnulla consistere, uti cessatio insignis in sensu motuque facta, & abolitio actionum animalium, cum abolitio non insignem sed totalem dicat cessationem sine latitudine; ad ista verò & similia concilianda notandum est, vix esse Apoplexiā in cuius principio non convulsivi quid ac spasmmodici obtineat, (nisi eos forsan excipias, qui uno ictu flacci, sublato simul spirituum influxu, mortui mox concidunt) hinc & saepē haberi pro Apoplexia, itaque vocari, quod apoplexia non sit, sed insultus quidam convulsivus non plenè epilepticus, nec tamen mera lipothymia; ac dein distinguendum esse inter insultum talem, ejusque principium, atque inter tempus mox sequens, quo spiritibus iterum per aliquos viam nactis canaliculos, jam iterum lucula quædam vitalis allucescit; etiam illo in casu, ubi insultus verè apoplecticus fuit, magis tamen, uti loquuntur, intra vasa, sanguine aggesto, ob stricturas spasmmodicas, quibus solutis redit eo ipso quædam spiritibus influendi libertas; quamquam ne sic quidem respiratio adeò libera atque immunis ab omni difficultate plerumque maneat; cæterum ad se redeunt, spasmis cessantibus, sicque ob aliqualem Spirituum in nervorum fibrillas reditum, redeunte sensuum lucula, vocisque in aliis restitutione aliquali ac graduali, & motuum quoque aliquorum libertate; ubi verò etiam extra vasa jam quodammodo malum extitit, remanet in alterutro latere major, minorve muscularum ad motum ineptitudo ac impotentia. Cæterum recidivæ tales manent obnoxii, in ultimo maxime casu, ob partes jam debilitatas, ad recipiendum humores subsistentes magis aptas, humorumque ac spirituum vitia, imò & meatuum fibrillarumque constitutionem antea jam minus justam firmamque.

Cæterum ubi Apoplexia verè, eaque extra vasa obtinet, ad se ægri aliquando quidem quodammodo redeunt, aliquo sensuum, quin & membrorum, ac linguæ usu prædicti, ita tamen, ut principalis causa, stagnans circa nervorum initia pravus obstruensque humor vel quæcunque alia, haud posit amoveri, sed maneat fixa, aucto sensim calore interno, ac respirationis repagulo ac labore, evanescente iterum sensim sensimque sub finem sensu & motu, aliquando etiam planè non redeunte; major, frequentiorque

quentiorque fit pulsus, ac dein debilis pededentim; maximè si stertor adsit, atque augeatur, vomitusque quidam, vel conatus saltē tendentes, sanguinisque ex naribus, vel ore eruptio, incumbens labiis spuma, spontaneæ sphincterum solutiones & excretiones involuntariæ, fau- cium ac gulæ paralysis ad omnimodam usque deglutitionis impeditonem, linguæ tumor, immobilitas, paralysis, oculorum corneorum rigor, maxillæ inferioris propendentia &c. Quanquam & subinde quidam videantur aperire oculos, aliave dubia, obscuraque vitæ signa, indiciaque edere; quæ omnia insignem habent latitudinem, ratione temporis ac modi variantium circumstantiarum ac combinationum symptomatum. Id verò tristi experientia compertum est omnibus, qui tales ægros, haud adeò ratos viderunt, quosdam subitò satis occumbere, fulmine quasi ictos, quosdam paulò tardius, quosdam per plures etiam dies agere vitam miseram ac moribundam; aliis per hemiplegiam diuturnis adhuc expositis miseriis, quanquam & tam miserè vivere hominibus mortem metuentibus dulce videatur.

Cadaverum sectio nunc extra vasatum sanguinem, nunc serum cerebro affusum, saniem, subcruentum serum, purulentam materiam, cerebri organica vitia, e. g. flacciditatem, aliaque obtulit scrutatoribus. Ac certum quidem est causam præcipuam atque immediatam esse influxum spirituum animalium in canales nervorum subitò impeditum, undecunque oblongatae medullæ canaliculi vel obstruantur, vel comprimantur, aut spiritus simul quoque dissipentur: quod alii appellant obstructionem pororum cerebri, etsi hæc nervorum oscula cerebri pori propriè loquendo non sint; ea tamen obstructio pro casuum varietate major, minorve, levior, vel pertinacior esse solet. Sive sanguis intra vasa aggestus eaque distendens gravis jam cerebro incubet ac spiritibus, sive ille ex ruptis effundatur ad cerebri vel basin, vel penetralia vasculis, seu largius eo segregatum serum easdem inundet, premative partes, vel viscedine obstruat, vel quæcunque alia causa liberam in nervos spirituum immeationem impeditat. Vasculis enim eorum vel relaxatis, & conniventibus, vel obseratis atque obstructis, & à viscidis moleculis occupatis, aut etiam compressis eorum osculis ac meatibus, spiritibus ac proin vitalitati ad partes jam via non amplius patet; unde sensus, motusque cessatio vel totalis, vel partialis, vel & temporalis, redeuntibus ad pristina munia locaque spiritibus obstaculo remoto.

Eveniunt verò ista senibus potissimum, etsi ætas nulla liberam se
securamque possit jure ullo pronunciare à tanti insultibus mali. Obruit
sæpè sine ullis indiciis prægressis, subito prostrato ægro; quibusdam ta-
men lentius paulo correptis. Aliis vertigine antea tentatis, quamquam
multi vertigine, aurum tinnitu, incubo, somnolentia, torpore extremo-
rum terreantur, quibus nihil supervenit apoplectici, cum alii corripian-
tur, qui horum nihil perceperent. Præstabit tamen ad talia symptomata at-
tentum esse.

Animi affectus immoderati, ira, terror frequentior, mœrores, ma-
lum accelerant, revocantque in debilioribus. Aliquando nulla est occa-
sio manifesta, quæ accusari possit. Externæ verò causæ plurimæ quoque
accusantur, violentiæ cum primis externæ, vulnera, casus, ictus, percus-
siones capitis graves, ossicula prementia ac pungentia cerebrum &c. Ha-
litus noxii, carbonum, calcis in conclave recentibus, musti in cella
fermentescentis, quamquam dubites, an in variis istiusmodi casibus apople-
xiæ accuses, an catarthum suffocativum, aut convulsivum morbum.

Inter remedia prudentiores practici emetica commendant in primo
gradu, audaciores cæteris promiscuè gradibus quibuscumque ea adhibent,
ausu satis ancipiti, cum & discutere humores probabiliter queant juxta
nonnullos, & juxta alios efficere stases, aggestiones sanguinis ac seri, spiritus-
que magis dejicere ac dissipare possint. Venælectio rectissimè commendatur,
in pede potissimum instituenda; Clysteres revellentes, imò & emollientes
conferunt. Cucurbitam bregmati applicant nonnulli, alii sicciam alii sca-
rificatam quam vocant, utrumque anceps videtur, & profuturum, &
nocitulum pro circumstantiarum varietate; vesicatoria egregia sunt, ar-
tibus potissimum applicanda. Nervina, volatilia cautè administranda, ma-
ximè ubi calor intensus; unde & febris accedens, quicquid dicant apho-
rismi, non semper juvat, sed plerumque gravior exardescit usque ad vi-
ta finem.

Paralysis, alias nervorum dicta resolutio (cum tamen non tam ner-
vorum, quam musculorum sit resolutio) aliquando tristis est affectus,
quem Apoplexia post se relinquit, cum principaliores partes spirituum in-
fluxum iterum receperent, aliæ verò parcus & imperfectius; aliis tamen
obrepere solet sine prævia Apoplexia, sive occupet totum corpus, omnes-
que partes infra caput positas, sive alterutrum occupet latus, quod Apo-
plexiæ magis proprium est ac *hemiplegia* nomine venit in Scholis Medi-
cotum,

corum, sive hanc vel illam tantum occupet partem. Partes scilicet ita resolutæ amittunt motum suum nec amplius voluntatis in hoc subsunt arbitrio, neque flectere pro lubitu partes licet, adeò ut in graviori malo & sensus accedat diminutio, imò aliquando ablato. Flaccescunt simul talia membra, ac calore suo naturali haud vividè perfunduntur, molliter aliquando tumentia, & quasi inflata, aliquando autem tabescentia, quod frequentius videre est in exarescentia tali particulari (**im Schwinden der Glieder**) quod tamen & sine paralysi solet contingere. In Universali paralysi, imò & in particularibus quandoque tensio tendinum rigidior jungitur, & quædam quasi exsiccatio, ut vix flecti aut diduci queant. Combinationes cum spasmis non adeò sunt frequentes. Est verò & discrimen notandum inter paralysin ac paresin, quæ Colicæ Spasmodicæ facile supervenit, illi quoque cum primis, quam plumbeam dicas, ob vina lithargyrata taliaque affinia assumta; Spasmodica enim Colica vel negletim habita, vel purgante irritata, aut vini abusu ac concessione, aut animi affectibus, paresin facilimè inducit; quod & mercurialia, halitusque eorum frequentius hausti possunt efficere.

Corripit verò paralysis aliquos lentè, alios subito magis, decrescente in illis sensim partis sensibilitate ac promptitudine ad motum, orto tremore ac formicationis sensu, quem quoque percipimus cum innitimus brachiis durius diutiusque; tacemus jam graviores paralyses ex luxatione spinæ dorsi, medullæ spinalis oppressione à casu ab alto, ex nervorum abscissione &c. Cæterum sæpè paralyses particulares junguntur cum vitio quodam in antagonistis quasi spasmodico, hinc palpebræ ex paralysi quidem possunt connivere, sed & variè cum languore agitari celeriterque convelli, ac quasi subtilire; oculus ipse variè torqueri potest & resolvi, ac lachrymas fundere, glandulis & relaxatis & strictura spasmodica pressis, lingua loquela fit inepta ac tremula quoque & rigidior ac quasi tumida; os ad latus alterum detorquetur, vel resolutione unius lateris musculi, vel alterius simul tensione quasi majore ac nonnihil spasmodica, quæ omnia variè sæpè videmus complicata spectaculo satis tristi. Sphincteres quoque paralysin passi facilius dimittent involuntariè & feces & urinam, si strictræ in intestinis ac vesica aut abdomen simul adsint tensivæ aut spasmodicæ.

Si causa sit gravior, obstructioque penitior ac totalis, non potest non emori pars ac sphacelus imminere, cum scilicet spiritibus non am-

plius influentibus sanguinis quoque per partem cesset circulatio , ac character vitalis, irruente mox à stasi totali putredine. Causa enim paralyseos est influxus spirituum animalium ad partium nervos ac fibras interclusus, nunc magis, nunc minus plenè. Sive deficiant spiritus, eorumque elater languescat, copiæque minuantur, sive nervus vehens in culpa sit, utpote tubulis compressis, viscido infarctis, flaccidis ac collabacribus, vel in principio suo, vel in progressu, ipsisque insertionibus in musculos, imò in ipsis motricibus fibris eorumque qualibuscunque cellulis haud patentibus satis; unde & major minorve oritur mali pertinacia, gradus, ac modificatio, nunc motu solo ablato, nunc sensu quoque infraacto, imò cum ipsa vitalitate sublato, spiritibus magis dissipatis, pessundatis, dejectis, absuntis, &, ut alii loqui amant, fixatis ab acido, pituitoso, imò coagulatis, siquidem per ipsorum id liceret consistentiam nativam.

Cum tremorem, doloremque in paralytica parte observant, gaudent ægri (nisi sit à convulsiva nervorum diathesi) cum indicio sit, redire in canales suos spiritum, antea exclusum, aut parcus admissum, sicque spem esse motus redeuntis. Commandantur frictiones, sinapis, urticationes, unguenta nervina, spirituosa, articulis, dorsique spinæ applicata, multum tamen non efficient sine usu internorum nervinorum, confortantium, balsamicorum temperatorum, ac ubi calor præternaturalis non prohibet, volatilium, cinnabarinorum &c. De Thermis non est, quod addam, novimus ubi profuerint egregiè, ubi & nocuerint, alia exempla non desunt, si maximè malum sit ab apoplexia, ubi balnea non rarò novos excitant paroxysmos, aut saltem viribus non multum protunt, nisi valdè moderatè adhibeantur, acidulis pro re nata calorem, quem inferunt corporis temperantibus. Vidimus tamen & sine balneis restitutios. &c.

De Affectibus in quibus mens laborat, ac Phantasiæ Vitiis.

DElirium ordinariò distinguitur in delirium cum febre ac furore, quale phrenitidi adscribitur, in delirium cum furore sine febri, quod Maniae competit, atque in delirium sine febri ac furore, quale Melancholicis tribuitur. Circa quas tamen differentias varia possent notari, ac notabuntur quoque partim in sequentibus.

Ingens verò circa deliriorum circumstantias gradusque varietas est. Analogum quidpiam oculis frequentissimè auribusque omnium obversatur in ebriis, eorumque confusis sermonibus & actionibus, imò & in somniantibus, quorum phænomena pariter inordinata sunt, aliquam quoque similitudinem observare licet deliriorum doctrinam illustrantem in vehementibus animi affectibus.

Sane deliria sunt vigilantium somnia, namque & in somniis æque ac deliriis ideæ connectuntur ordine præpostero, confusione omnem connexionis & convenientiæ ordinem excludente. Loquuntur deliri inconcinnè, committunt absurdā, quæ mentis compotes non admitterent, nunc autem in ista Spirituum, imò & humorum turbatione pertinaciter exequuntur.

Qui in somno dicuntur delirare propriè loquendo non delirant; sed qui vigilantes loquuntur inepta; loquaces admodum quandoque, sæpè tam magis cogitabundi, obstinatè taciturni, in silentio quasi ecstatico constituti, meditationi quasi indulgentes assiduæ, ac maximè seriæ: si verò respondeant, respondentes ineptè ac minus ad rhombum, atque interrogationem: Ista verò vel continuò, vel per intervalla observantur, vel gravius, vel levius, insigni latitudine graduum ac varietatum. Soliditudinis amor, aversio à consortio aliorum, non eadem tamen plerumque respectu omnium, sed cum discriminē personarum; Timor frequenter jungitur, ad tremorem sæpe usque. Delirant autem vel circa omnia, phantasia continuò aberrante ac miscente quadrata rotundis, vel circa certa tantum objecta, cum quoad cætera omnia rectè uti aliâs ratiocinentur.

Delirium verò maximè Melancholicum eos etiam invadit, qui sanitate cætera fruuntur integra, ad minimum functionibus omnibus obeundis quâ machinam animalem apti, aliis verò in morbis spiritus ruunt in ataxias, indeque enascuntur deliria, quod in æstu febrium, etiam intermittentium hoc observamus, inque aliis orgasmis massæ sanguineæ posterioribus magisque effteris.

Vigiliæ delirantium ferè perpetuæ sunt, neque turbata phantasia, ideaque timoris quietem spiritibus permittunt; Oculos torvos, statuique suo convenientes monstrant intuentibus, uni sæpè objecto vel plagæ infixos. Varia incohærente effutiunt, nunc planè inepta, nunc statui sanguinis, qui in ipsis obtinet, congrua ac convenientia, circa divina quoque, & conscientiæ res occupati, qui tamen status expertos requirit ad-

stantes, ut tentationes à deliriis distinguere, suumque tribuere cuique sci-
ant; qua in re enormiter peccari non raro vidimus. Tribuuntur quoque
ipsis varia insolita, quæ patrare dicuntur, ut linguatum peregrinarum no-
titia, variaque præfigia, de quibus tamen quæstio an nondum extra con-
troversiam est posita, multaque de iis monenda forent.

Varia sunt mali initia, pro specierum varietate, tanto graviori æsti-
mando malo, quo illud universalibus, vehementibus, vel gravioribus
aliis, e. g. spasmodicis symptomatibus stipatum est. Malum autem vel
subito oritur vel sensim sese prodit; à philtis, halitibus venenatis, nar-
coticis, quales sunt hyosciami, ex plagis capiti inflctis, epilepsia, aliis-
que affectibus præternaturalibus oriuntur, juxta varios gradus diversa de-
liria, quibusdam instar brutorum omni mentis distincta actione destitutis,
aliis inter quasdam mentis scintillas brutas fœdasque actiones edentibus;
aliis simul tatis ad fallendos alias callidis; nec licet verò in generali con-
ceptu versantibus clarius ista eloqui aut plenius, hoc tamen perpetuò sup-
ponendum, agnoscendumque erit, motum spirituum in isto statu con-
fusum esse, inordinatum, irregularē, indeque varias enasci ideas abso-
nas, confusasque, & inānes speculationes, ab ideis male à phantasia
connexis, variè ac ineptè combinatis, ob statum spirituum turbatum,
quorum turbæ vel ab humoribus transmittuntur, vel demum ab illis in
humores aliis in casibus transfunduntur, à phantasiæ incondita idearum
farragine ac confusione obrutæ intensiori applicatione ad renovationem
vestigiorum ineptas ideas menti sistentium ac incessanter obstinato quo-
dam exercitio repræsentantium.

Phrenitidem primò loco contemplabimur, delirium cum febre ac
furore dictam, non eo quidem sensu, ac si omne delirium, quod alicui
febris supervenit, aut cui aliquid febrile accidit, statim dicendum esset
phreneticum; hīc enim à febrile additur, ut distinguatur rectius à Ma-
nia phrenitis, et si nec in aliis deliriis desint casus, ubi febriliter exæstu-
et sanguis. In phrenitide autem præcipue febris manifesta est ac præva-
let, estque continua ac maligna, ita tamen eam distinguunt, ut vel ipsa
primùm aliunde habuerit initia sua, ac per modum symptomatis in *άκυη*
morbi adsciscat phrenitidem, vel demum febris illa acuta sequatur inflam-
mationem cerebri aliunde enatam, quamquam & hoc vix queat contin-
gere, ut non febris simul cum inflammationis initio exardescere incipiat.

Hac ipsa tamen manifesta febri totum corpus ardore suo occupante
à mania

à mania distinguitur Phrenitis, quamvis & observetur, subdolum esse sæpe hunc calorem, exterius haud adeò sese exerentem ad tactum sensumque frontem alii magis quam alias partes calere dicunt, indicio non satis certo, cum id perpetuum non sit. Celerem offert pulsus, ac frequentem, imò & durum, urinam Authores ruffam dicunt, rarius aquosam & tenuem, qua observata, ajunt adesse summam cruditatem; quod tamen ambiguum quodammodo est, sanè ipsa urina tenuis, pallida, aquosa est inter vel convulsionum, vel phrenitidis imminentis ac metuendæ in febribus malignis, nec est rara in his casibus, urina antea flammea, tinctaque, postea in pallidam, tenuemque transeunte. Oculi dicuntur rubri, ferces, scintillantes quasi, squalidi, torvi, agitati pro re nata, nec tamen ex eorum rubidine mox concludes in tali delirio inflammationem meningum jam esse formatam necessariò, seque eò jam extendere per tunicarum communionem; allegatur rubor genarum, imò collum ipsum ex fusco lividum; sed & hæc multum variant. Respiratio laboriosa, inquieta, nec æquabilis satis esse solet. Vigiliæ pertinaces adsunt, vel si spirituum confusio aliquem obtrudit somnum, brevis ille est, & comatosus magis, non reficiens ægrum sed confundens, magisque reddens inquietum. Sitim in illo statu non sentiunt, mens enim laborans non attendit ad siccitatem ariditatemque faucium liquida omnino postulantum; unde parum bibunt, nisi offeratur, ferè non attendentes ad id, quod agunt vel hauriunt; nec in illa mentis confusione sentiunt dolorem, et si antea vehementer eos affligerent. Nec tamen omne in febribus malignis delirium phrenitidis nomine insigniendum, nec omne cum furore est, quibusdam miti satis ratione modoque delirantibus; intervalla autem sua habet delirium, quibus tamen fidendum non est; callidi enim sunt, et si tum mens laboret, unde toties, adstantibus non satis attentis, ex lecto prosiliunt. Plurima blaterant, gariunt, nunc elata voce, nunc murmurantes, clamant, exserunt linguam, exsiliunt, jactant corpus hinc inde, varios tentant gestus, fitusque corporis, frequenter ferocia adest, furor quoque sæpe inopinatò se exserit, conatusque alios vel semetiplos lædendi, aut aufugiendi. Silent alii ac stupent, tum maximè observandi ob vicissitudines celerrimas. Metuendum est & hic uti in maniacis insigne virium robur; oblivio omnium plerumque adest, pudor exulat, hinc integumentorum abjectio, stridor dentium, facies torva, oris variæ motiones, convulsivi aliquando motus, vel saltem tendinum subsultus; paucis, attentione opus est ne

ferantur vel in aliorum vel in propriam perniciem attentissimi ad fugam omniaque extrema ob anxietatem, qua torquentur sub ista confusione, internam, quæ efficit ut fugere se putent mala illa sibi instanti ac liberari, dum se per fenestras agunt præcipites.

Phrenitidem varia præcedunt mala, quæ tantos in sanguine spiritibusque æstus, motusque efficere valent, quæ inter eminent continuæ, & malignæ febres, pleuritis, peripneumonia, variæ capitis, aut partium aliарum nobilium ac nervosarum læsiones, casus ab alto, capitis vulnera, fissuræ cranii, sanguinis extravasationes in cerebro, uterini morbi, mensum vitia, lochia cumprimis retenta, nataque hinc febris puerperalis gravissima, paucis, omnes isti affectus, corporisque læsiones, quæ spiritus in furorem, sanguinem in orgasmos violentos, inque stases & aggestiones circa caput adigere, sicque istas in humana machina turbas ingentes excitare valeat. Gravissimum enim hoc malum oriri potest æquè à causa quadam communi, febri quadam primaria, vel enata ex visceris cujusdam inflammatione, quam ab alia magis particulari, sanguinis extravasatione, stasi, aggestione, inflammatione alicubi gliscente, fervidiore in cerebri confiniis sub circulo lentiori non rectè promoto sanguine, ac gelatinosiore simul & turgescente, aut extra vascula extillantis sanguinis, vel lymphæ in saniosum statum, ac purulentiam transitu; ista enim omnia potenter irritant Spiritus, ac confunduntur aucto eorum elatere ob canarium siccitatem eum antea moderantem, quem statum alii spiritum accessionem vocant, unde eorum dein dissipatio, depressio, exhaustio, nisi citò defervescente sanguine reliquæ adhuc spirituum copiæ à confusione redeant ad fluxum pacatiorem, alias enim aucta inflammatione ac stases ad *νέκρωσιν*, spasmos, totalemque, quam vocant, spirituum extincionem mortemque tendit; priori autem in casu, sanguine quietiori redditio nec inflammatione crescente vel pristinus menti vigor breviredit, vel in chronicum quoque delirium transit primus furor, variis subsequentibus Melancholiæ ac Maniæ combinationibus.

Morte autem appropinquante cessat plerumque furor, reddunturque omnia sedatiora, sensim extinctis & per deliquia fractis spiritibus, nisi antea in spasmodicos ruant motus, stimulo urgentiore reliquias eorum violentius exagitante; ubi varia, quæ circa morientes observantur symptomata, variè se excipiunt, involuntariæ cumprimis sphincteribus relaxatis excretiones &c. Lethale quoque habetur, si capite vulnerati magno con-

natu & inquietudine deligationes omnes capitis & emplastra avellere nitantur, ac sæpè quidem istos conatus tristes vidimus, vidimus verò & in aliis idem, qui feliciter evaserunt ex isto periculo, cum tamen omnia ligamenta nisi bus iracundis ac vehementibus avulsissent.

De *Paraphrenitide* multa legimus passim, cujus circa diaphragma radicem quærunt, manifestante locum dolore ex contactu ejus, quem non ferant ægri, quæ tamen rariora sunt, & in genere ab omni viscerum quorumcunque inflammatione, indeque nata febri maligna ac continua oriri possunt.

Anatomia practica in cadaveribus varia invenit post mortem phreneticorum, meningibus & cerebro variè affectis, ac humorum variorum saburra suffusis, qui tamen effectus forsan magis fuerunt, quam causa mali, cum & sine his conspicuis & gravibus læsionibus oriri queat phrenitis, frequenterque fuerit observata.

Non attingimus curationem, id saltem addentes, ea omnia huc trahenda, quæ conveniunt in malignis febribus, & contra insultus, qui oboviuntur in iis, spasmodicos, hinc venælectio, vesicatoria magis prosunt, quam epithemata; bezoardica, diaphoretica non calida, nitroso, diluentia, temperantia, resolventia mitia, paregorica, omnem absolvunt paginam, opiate cautè adhibenda; Somnus quidem utilis, sed excitatum haud facilis est, nec expedit spirituum nimia ligatione atque extincione, quem inferre nimia possent opiate obtainere somnum, qui tum non prodesset amplius; quin & opiate aliquando furentium spirituum confusio- nem augere queant.

Melancholia est affectus latissimè patens, non solum propter infinitas deliriorum species, gradusque, sed et quæ causarum, ipsiusque quæ malo subest radicis varietatem insignem. Ideæ tristes animum perpetuò inquietum detinent; tristitia in his ægris dominatur, eaque non celeriter transiens, sed profundius radicata & plerumque insuperabilis durante causa, etsi ratione careant, qua ad tristitiam provocentur, quidam enim moeroris allegant causam, alii nullam scire se asserunt, hinc suspiria, gemitus, subinde lachrymæ, solitudinis amor ac studium, solicitude, anxietasque, perpetua fuga consortii, taciturnitas sæpe obstinata, aut saltem parcus sermo; nihil ineptius, quam eos jocis exhilarare, quos aversantur, maximè si simul tentati sint, ubi magna circa eos commorantium prudentia requiritur. Ordinariò legimus apud authores, animum melan-

cholico-

cholicorum esse abjectum, nulla audacia, furore nullo, vel alios læden-
di animo in iis observando, quin conspicere potius, malo ad insigniorem gra-
dum aucto, in iis timorem ingentem, planè insolitum, ac meticulositatem
abjectissimam, ab omnibus sibi metuendo extrema quævis ac periculosa;
& ista quidem rectissimè dicuntur de Statu Melancholico, puro, nemini
tamen velim author esse, ut his descriptionibus nimium fidens, istis cre-
dat melancholicis, cum toties viderim subitaneas cum mania ejusdem al-
ternationes, ut eodem ferè momento summus timor, ac furiosa audacia,
conatusque vel se vel alios lædendi se se excepere int nullo quasi intervallo,
ac mirabili planè combinatione, cum & astuti sint, ac sæpe simulent
metum, ut certius nocere queant vel sibi vel aliis. Cæterum eadem con-
fusa spirituum animique dehinc dispositio efficit, ut frustra ipsis salutaria
inculcentur monita, neque enim per fixas illas, queis agitantur, ideas lici-
tum ipsis integrumve est, obedire monenti, hinc animi obstinatio, hinc
defixa in iisdem ideis cogitatio, ac cogitabundus eorum & quasi attoni-
tus status. Magna autem varietas est in delirandi modo, ac objectis,
cum alias latius se diffundat malum, quod in aliis ad pauca objecta po-
tissimum restringitur. Cibum potumque plerumque respnuunt, vel saltem
illorum obliviscuntur, quanquam & sint, qui per vices satis appetant. Nec
agitati spiritus soporem facile, aut quietiorem admittunt somnum, ad
minimum brevis ille est, & terroribus interruptus; etsi decumbant sæpè
taciturni nec tamen dormientes. Aliquando fixi quasi hærent in loco suo,
aliâs celeriter multaque cum anxietate recurrentes, suaque phantas-
mata enarrantes, aliis silentibus astutèque meditantibus noxia ac absurdâ.
Facies afflîcta, tristis, torva, distracta, quasi perterriti; siccus est corpo-
ris habitus plerumque, quanquam nec alii excludantur.

Præcesserunt aliquando morbi graves, ipsa quandoque in iis phren-
nitis, vulnera aliæque læsiones, magna infortunia, terrores, moeroresque
profundi, consternatio subitanea, aliquando verò manifesta talis causa
præcessit nulla, in nonnullis hæreditarium est malum; uti hypochondri-
ac familiare malum est, ita & cum utero nexum habet hysterisque ma-
lis, ac vario veneris usu, desiderio, aut intermissione. Omnis sexus at-
que ætas talia patitur, magis tamen adulti. Cum temptationibus tamen
nexus est arctissimus, nec vulgo satis cognitus, hinc raro ea, qua par erat,
prudentia ac circumspectione tractantur. Res verò eò est difficilior, quò
magis confundantur idæ, nexibus mirabilibus plerumque coalitæ, hinc
animi

animi afflictio profundior, obstinatior, Phantasiæ firmius impressa, ipsi-que memoriæ recursu perpetuo tenacius infixa, unde perpetua spirituum agitatio in tristem circulum, ejusdemque recursus ideæ, cum quæ spirituum moderatur Elaterem roscida perfundens nervorum canaliculos ac blanda lympha deficiat, unde hi spiritus aliis dicuntur depresso, fixati, concentrati, qui tamen & deberent perpendere, quam prompti sint iidem, qui fixati videbantur spiritus, ad ingentes ataxias, furoresque; accusatur acidum eminens ac fixum, immo & fixior bilis, possunt verò & si-ne istorum concursu directo turbari spiritus, ac ideæ confundi, nec congruit per omnia simile à desciscentia vini in acetum quod desumitur, cum alia vini alia spirituum sit ratio; si enim particulæ acidæ ita essent exaltatae, sulphureæ adeò depressæ, non tam citò alternare timores, furoresque maniaci possent in plerisque melancholiis gradu insigniori laborantibus. Etsi vel sola siccitas nervorum, aut viscidula eorum lympha supponantur, tenacitas tamen istarum idearum, perpetuusque earum recursus inde sequetur, eò magis, quod ipsa animæ indoles, & quo usque illa in istiusmodi deliriis & agat, & patiatur nimium adhuc nobis sit in-cognita.

Ineptè verò judicatur eos ex desperatione animi mortem sibi ipsis inferre violentam, aut se præcipites dare, cum spe potius absurdâ ac delira id agant, putantes hac ratione se à periculo vel malo, quod sibi fingunt vel metuunt, liberari posse, aut metu aliis in casibus eò adiunguntur, cum præsentissimum, id ni facerent, imminere sibi existiment periculum. Sermo autem est de verè melancholicis, non de hominibus desperatis ac malitiosis se ipsos interficientibus.

Venæsectio in hoc malo remedium insigne est, sanguis prodiens nunc admodum satura tinctus rubedine, nunc nigricans, spissusque conspicitur; Plerumque violenta instituitur cura, emetica fortiora ac purgantia, cum venæsectionibus largis ac frequentibus celeriter combinando. Acidulæ multum sæpe præstant. Nitrosa quoque, nervina, splenetica dicta seu affectui hypochondriaco dicata, aperientia &c. Helleborus niger prudenter adhibitus multum præstat; & quemadmodum ea omnia malum promovent, quæ spiritus turbant, figunt, deprimunt, obstructio-nes in visceribus, atque excretionum consuetarum impedimenta inferunt, ita ea omnia juvent, quæ serenare, quod ajunt, spiritus, eos blande demulcere, refrænare, in ordinem redigere, motumque pacatiorem valent,

quo pertinent quoque blanda alloquia , patiens adstantium conversatio , varia remedia moralia ac politica , potissimum theologica , si prudenter adhibeantur. Uti verò supra monuimus febrim regulariter abesse à Melancholia , ita tamen reticendum non est , febrilem statum pulsumque in iis apertè satis observari non raro ac per intervalla , uti & anxietates nec ejusdem gradus nec generis esse solent. Omnes verò varietates eorum ac differentias nemo facile recensuerit.

Mania etsi vocetur Melancholia inversa , illique penitus videatur opposita , cum in mania nulla sit tristitia , nullus metus rerum etiam maximè terribilium , magna tamen , ut supra monui , est inter utrumque affectum conspiratio , cum non solum utrinque sit delirium , idque sine febre existens regulariter , sed & inter se alternare tam frequenter soleant ista mala , ac conjungi simul eodemque tempore in eodem subjecto ; unde & cautè pronunciandum , nullum esse in maniacis timorem , nullam tristitiam , cum utrumque frequenter & possit adesse & revera adsit , non quidem in ipsis adeò raptibus maniacis , sed paulò ante ac statim post eos , ubi saepe tales melancholici maximè timidi , maximè dejecti periculosissem subito solent furere , iterumque dein redire ad pristinum timoris mœrorisque statum. Idem de curis dicendum , post furores mox recurrentibus cum priore anxietate. Quamquam & sint maniaci diutius , constantiusque furentes , nec easdem offerentes delirii utriusque reciprocationes , qui superbi sint , elati , nil nisi altum spirantes , feroce , protervi , arrogantes , temerarii , impudici , violenti ; quales tamen etiam inter melancholicos reperias. Cæteri maniaci magis sunt occupati , hilares nunc , nunc feroce , simulantes quoque statum tranquillum , mox apertè tumultuantes , clamantesque , convitiaeque eructantes in obvios quoscunque , subdoli , insidiosi , periculosi.

Non omnium Maniacorum eadem animi dispositio est in intervallis , ea enim plerique habent , hinc inconstans est quæ iis tribuitur , hilaritas , non ad omnes extendenda status & horas ; robur eorum in vulgus notum est , quod nempe plures etiam robusti viri vix pares sint uni maniaco furenti detinendo ac compescendo , tantus scil. est Spirituum elater , tam potens muscularum inflatio , tensioque ; frigus tolerant incredibilem in modum , vigilantque plures etiam noctes absque læsione manifesta , ferunt quoque inediā , alis tamen liberaliter edentibus , imò vorantibus ; febris regulariter eos non tenet , haud tamen dixerim nullam unquam accedere ad

ad hos furores; cum pulsus non magnus saltem, sed & celer, ac subinde quoque febrilis evadat, æstusque toto corpore sentiatur.

Inter causas prægressas recensentur varia, animi fortiores contentiones, philtorum exhibitio, abusus calidorum, vini, spiritus vini, tabaci, & juxta authorum asserta confectionis anacardinæ; aliquando prægressa dispositio Melancholica, amoris inepti motus ac passiones, hinc uterque sexus istis subest tragœdiis, uterique vitia potissimum concurrunt, exacerbante malum pro subjectorum diversitate & venere nimia, & nimia ab usu ejus abstinentia, curis, ira temerè irritata in dispositis, tempestas anni fervens ac calida, vini potus &c. Ideæ scilicet dementes foventur à confusis atque impetuosis spiritibus, qui jam non audiunt habenas, omnibus machinæ fluidis commotis atque exagitatis & turgentibus; ac deficiente lympha blanda, cerebrum, nervorumque aliâs humectante, ac delinente canaliculos, ac moderante elaterem spirituum, qui jam coerceri non possunt, ab idea profunde phantasie impressa perpetuò quasi puncti ac irritati, provocatique ad novas turbas, novosque tumultus, particulis sulphureis liberioribus magisque in sanguinis massa, quam par est, prædominium obtinentibus, hinc tanta spirituum instabilitas ac impetuositas, hinc perpetuae animi turbati distractique iræ, & incoercibilis furor. Quidam accusant acido-biliosem causam ac simul volatilem, qualem concipiunt esse formicarum acidum, principiis his con fermentatis & quasi accensis, circa tamen heterogeneitatem (talibus enim sordibus carere maniam) ac febrilem effervescentiam; quæ tamen ipsa re haud æquè in ægris observamus, cum sanè & Melancholicorum sordes, id est, fixiora viscidioraque recrementa acido collutulata, etiam in Mania omnino debeat supponi, cum tam facile imò ferè ordinariò continentur hæc mala; neque acidum, quale spirant formicæ, istos efficeret orgasmos turbasque humorum ac spirituum, cum acidula sedare magis soleant, quam ciere motus; nec dicas, fermentatum sulphur id efficere, neque enim tanto in excessu adest tum sulphuris prædominium, neque acidi sulphureique mixtura tanta cuderet symptomata, ut taceam tam subito Melancholicos profundos, quibus istam diathesin humorum ac spirituum minimè tribuunt, sed profus contrariam, fieri Maniacos, ac vicissim maniacos animo maximè dejecto ac tristi denuò esse post furoris paroxysmos. &c.

Remittente enim furore illo satis tristes, dejecti, ac quasi pudibundi fiunt, ac verè Melancholici, castigationes quoque plerumque metuunt,

multique insigniter furiosi vel oblata virga oculis, timidissimi evadunt: castratio quoque refrænasse furorem ac sustulisse observata est. Cæterum præter Venæsectiones Helleborata, nitroſa, absorbentia, diluentia, temperantia, humectantia, blanda anodyna, ac demulcentia magno hic usui ſunt, opiate cautè danda; emetica plerumque in exigua dosi vix operantur. Sanguis venæsectione emissus, ſero ſæpè deſtitutus, coccineum offert non in ſuperficie modo ſedet in fundo colorem, quod tamen perpetuum quoque non eſt, cum & largius ſerum atro ſanguini affuſum in aliis obſervetur, ut & maniacorum qua ſanguinis diſpoſitionem eadem ratio non fit. Anni quoque temporum mutationes non raro ad remiſſionem mali quid confeſſunt, præprimis reſtitutæ excretiones conſuetæ: quas inter eminet hæmorrhoidalis. &c.

Intervalla verò ſua Maniaci quoque habent, nec furor æquabilis ac continuus decurrit, ſed per accessiones ac remiſſiones. De iis verò non loquemur, in quibus dæmonis ſe exferunt operationes, ſi peregrinis loquantur linguis, aliave agant naturæ vires ordinarias excedentia, etiā non omne statim inſolitum robur à dæmone ſit, unde & de obſeffis circumſpectè judicandum, nec temerè, nec timidè, cum ſolennis hodiè ſit in alterutrum extreum prolapsus, medium itaque circumſpectè tenendum.

Multa adhuc dantur, variaque delitiorum genera, ad priora tamen pleraque aptè reducenda; etiā ſint quoque, quæ ſibi peculiare quid servant, uti v. gr. *delirium, quod à canis rabidi morſu enascitur*; penetrantissimum enim illud veñenum, niſi citò correctum fuerit aut remedii aptis ſubjugatum, graviflimum hunc furoris peculiaris effectum producit, qui per plures etiam in occulto, ſuoque quaſi ſeminio, latere potest annos, tum demum funeſtè erupturus.

Et verò furor iſte conjunctus cum mordacitate, mores quaſi caninos adſcifente ægro; quem aliqui affectum vocant inter phrenitidem ac maniam medium, qui & ad anginam quodammodo accedat, qui ſe vel brevi poſt morſum, vel diu etiam poſtea exferit; cum febri ſane mens tum labrat, cum rubidine torvorum oculorum, ſymptomatibus pro gradu rabiei variantibus; *hydrophobia* maximè mirabile ſymptoma eſt, quod alii vo- cant averſationem & horrorem, alii conſiderant tanquam deglutitionem impeditam, quod ſcilicet bibere non poſſint potius, quam non velint; utrumque tamen certum videtur, horrore quodam averſantur liquida, et ſi ad ea haurienda urgeantur, fiet id cum metu ſuffocationis, liquidique per

per nares rejectione, ob fauces scil. vel inflammatas, vel paralysi affectos musculos illarum cum vix appareat tumor in locis illis, manifesto ab angina discrimine, nec idea liquidum abhorrens tum demum videtur formati, cum deglutire se non posse sine suffocationis metu advertunt.

Aucto demum malo se exerit rabies, eò peior ac periculosior, quod & alii ab iis demorsi pari ratione corripiantur, affectu per mortuum cum illis communicato. Unde & multa dicunt authores de peculiari ac venenato fermento seminali, quod quidam salino-sulphureum vocant, quod, nisi citò extinguitur corrigaturque, miserrimum in modum alteret massam humorum ac Spirituum, dum ex vulnere absorbetur in sanguinea vascula, sicque ad totam penetrat massam. Sed & hoc fatendum est, hoc ipsum speciale ac terribile venenum in quo consistat, nobis esse hactenus incognitum, ac meras esse conjecturas, quicquid ratiocinemur, specificum hoc est occultumque venenum, nemini satis perspectum, & delirium tam grave ac enorme, & febrim sui generis excitans.

Maturè tamen adhibitis bezoardicis, alexipharmacis, nervinis non pauci curantur; cauterio quoque adhibito actuali; submersione item in aquam marinam; immò & aliam; venæfctione, quam sub lingua commendant; lotione vulneris cum aceto rutaceo, theriacæ permixto, exhibitisque bezoardicis variis, pulvere cinerum cancrorum, aliisque specificis; quò etiam quidam hepar canis illius referunt comedendum.

Cæterum monent authores, in cadaverum sectionibus haud æquè repertas fuisse insignes faucium inflammations, sed aliorum potius viscerum. Aliqui etiam latrare, & ululare dicuntur (unde & malum à rabis deducitur quoque lupis, aliisque animalibus, uti in Italia observatum) Moriuntur convulsi, videlicet post dentium stridores, spumamque ori admotam, expulsamque, motus convulsivos singulares ac terribiles, mentis usu magis vel minus pro gradu varietate ablato.

Saltatorium quoque alii allegant delirium, *Tarantismum & Chorea* S. Viti pro eodem mali genere habentes, cum tamen Chorea S. Viti rariissima videatur, priscis magis temporibus, testè Historia, cognita quam nostris, cum Tarantismus sit frequentius malum, non uti prius fuit quondam epidemicum in quibusdam locis, sed constans eodem in loco, in Apulia scilicet, sine mortu Tarantulæ non exoriens, remedio existente saltatione non morbo; etsi negari non possit, videri eos delectari saltatione, quam tamen non nisi certo instrumentorum sono prævio adgrediuntur,

qui sonus eos ad saltandum excitat, cum prius dejecti, convulsi, ac quasi moribundi viderentur decumbere, ut de delectatione aut desiderio praevio haud æquè affirmare quid liceat, uti istæ quidem fœminæ ex Apuliæ incolis faciunt, quæ, ut saltare ipsis liceat, extra consuetam prodeunt custodiam, se à tarantula ictas fingunt, adeò ut à medico necesse habeat maritus judicium exquirere medicum, an verus fictusve sit ille tarantismus conjugis.

Alia planè ratio est eorum, qui rarius hodiè *saltare* per morbum dicuntur, quorum motus magis sunt convulsivi, involuntarii, non afferentes levamen, uti à tarantula icti per continuas saltationes eripiuntur ex gravissimis symptomatibus mortisque ipsius faucibus, succedente sudore, ac spiritibus in ordinem sub tanta fatigazione redactis, sub largo sudore erumpente, morboque sic dissipato ac evanescente. Patiuntur tales a morbu spasmos, vomitus, stricturas faucium, metumque quasi suffocationis, stuporem, horrorem, urinæ ardorem, pruritus, vigilias, anxietates; neque tamen omnium eadem sunt symptomata, demorsis à scorpio, maximè in Africa quoque communia. Illachrymantur quoque, delirant varia, intumescit venter, patiuntur jactationes corporis &c. Saltatio autem ipsa ad causam morbi, ac ejus symptomata non videtur pertinere, sed potius ad remedia, neque enim incipiunt saltare nisi musicam audientes, neque ad omnes musicæ sonos, sed ad certas saltem rusticæ harmonias specialiores. Cum verò inceperint saltare, haud facile desistunt, neque tutum est, ut desistant, antequam curentr, cum ne sic quidem certò satis de recidiva sibi cavere possint; delectantur verò etiam splendidis, variisque coloribus, aliisque objectis splendentibus; unde & hic evidens est venenum planè occultum quoad indolem suam ab illa aranea sanguini per vulnusculum immitti ac instillari, quod tantas ibi possit excitare turbas; ac confusiones, agitationesque spirituum, ac phantasie tam peregrinas, ineptasque sistere per sensus communis perceptiones ideas; etsi enim dicas, insinuare se cum ictu sal volatile subtile, acre, sui generis, ad instar aliorum venenorum animalium, immutativum & corruptivum sanguinis & spirituum, quod eos turbet illicò, mentemque alienet, variè pro temperamentorum varietate, etsi, inquam, hoc dicas, nihil tamen dices, nam hoc ipsum sui generis ac peculiare prorsus occultum est; cumque sale volatile emendetur, corrigatur istud venenum, cur id dicamus volatile, causa vix ulla erit; qualecunque verò id sit, excitato tamen sudore per diuturnam

turnam saltationem nervos, quos irritaverat, spiritusque, quos mirè turba-
verat, iterum deserit, si non plenè, saltem ad tempus, quod adhuc mira-
bilius est; necesse verò est, hoc venenum peculiare esse, cum fateantur Me-
dici, id præter saltationem cedere quoque bezoardicis volatilibus, acidis
quoque penetrantioribus & theriacalibus, quæ quidem remedia multum
inter se diversa sunt. Unde alios aliorum in *deliriis saltatorios motus ad tarantismum* referre non auderem, cum hic peculiare quid prorsus habe-
re videatur, atque ab omnibus aliis deliriis speciebus diversum.

Etsi enim dicatur, acrimoniam illam veneni fibris membranarum &
nerveis pruritum quendam seu titillationem spasmodicam conciliare, quo
per motum & sudorem excusso melius habeant; unde si ad similem cra-
sin alius disponatur sanguis, idem in aliis citra morsum posse fieri, levio-
ri orto spasio ac velut pruriante, hæc enim gratis supponuntur, nec fie-
ri hac ratione nisi in demortsis à tarantula solent.

De cæteris, qui ad Caput referuntur, Affectibus præternaturalibus.

CAtarrhi, seu congestiones, stasesque seri circa glandulas narium, fau-
cium, vel pectoris varia exhibit pro causæ ac loci varietate phæno-
mena, cum vel unam ex his regionibus solum, vel simul plures occupent.

In *Coryza* totum caput patitur gravitatem quandam ac torporem,
imò & dolorem, ac quandoque vertiginem; narium meatus liberi non
sunt, sed obstructi, ciebrisior movetur sternutatio, diverso tamen coryzæ
differentis statu, quæ vel cum largiore muco ac emunctione est conjuncta,
eoque crasso, viscido, denso, albo, flavescente, vel tenui humore stillant,
limpido, acri, salso majori vel minori quantitate, vel sicciores offert na-
res atque irritatas rubentes, intertriginem quasi patientes in *Coryza* siccā,
ubi non fluit catarrhus, & multum tamen affert irritationis atque incom-
modi, ipsa molestans obstructione & exsiccatione meatūs. Cæterum in
omni *Coryza* gustus atque olfactus nunc magis nunc minus læditur, ol-
factus tamen potissimum; in tunica enim nares æquè ac linguam in-
vestiente tumefactæ glandulæ, serique viscidæ canales fibrillas papillulasque
nerveas gustui dicatas premunt; suaque in functione sentiendi ac dijudi-
candi vel odores vel sapores impediunt.

Ipsa quoque subinde vox in *Coryza* læditur, accedente raucedine,
fauciumque superficie magis vel minus exasperata, cum & ad fauces facilè
illi

illi ferantur catarrhi, ipsosque invadant cum vicinia pulmones, uvulamque ac tonsillas, ubi pariter catarrhus vel viscidiore, crassiore, ac lento humore inundat istas glandulas ac partes, vel tenui, acri, ac mordente, unde siccitas, asperitas ac raucedo, minorque expetationis progressus, sputo & consistentiae, & coloris ratione multum variante; acres, titillantesque humores ad fauces ex palato naribusque confluentes, irritant, tussim ac raucedinem movent, idque vel simul, vel nunc solam tussim, vel raucedinem solam, vel hæc juncta, rauca, streperaque facta voce.

Caput verò turbatur in Coryza glandulis à sero occupatis ac tensis eorum fibris, hinc somnolentia, imò non rarò febricula jungitur, imò & Epidemicè nonnunquam grassans *febris catarrhalis*, molestissima sæpe, ac symptomatibus gravioribus stipata.

Habent & istarum febrium quædam, & quidam catarrhi ac coryzæ suam quoque malignitatem, seu malum præ aliis hujus generis affectibus ordinariis morem, è quibus aliqui præcordiis graviter incubant, ac ferè suffocativi evadere videntur, donec resolvantur.

In omni enim catarrho, quascunque occupet partes, serum patitur aggestionem quandam in colatoriis, glandulisque suis, non æquè promptè refluunt aut excretum, sed moram trahens, sero fusionem quasi passo in massa sanguinea, laxiusque hinc purpureæ parti cohærente, ac abundantius in glandulis secedente ac coacervato, sale ejus acri simul stimulante glandularum vicinasque fibras ad stricturas crebras, & expressiones seri accumulati, quin & seri moles sine acrimonia fibras lacessere atque irritare ad stricturas potest & excretiones copiosas aut expressiones seri; quidam id serum à cerebro derivant, alii ab arteriis ad glandulas tendentibus; hæ scil. directè illum advehunt, cerebrum nihil huc directè amandante, indirectè tamen hinc quoque vel levato, vel præservato, cum & sanissimis hæ viæ pateant, excernantque, quæ possent fieri molesta. Pro occasionis ac stimuli diversitate modò ad fauces ruente sero, modò ad nares ibique congeri solet ac stagnare, atque excerni, pro robore partium diverso, seri acrimonia, aut lentore, sanguinisque dispositione quæ totam massam suam. Neque tamen tam in catarrhis, quam in aliis fluxionibus, strobibus ac rheumatismis ad serum solum, vel etiam ad lympham, respiciendum, sed ad totam massam sanguinis, variasque illi innatantes impunitates, passimque in recessibus viscerum ac partium hærentes.

Inæqualitas aëris, ejus ac tempestatum mutationes celeriores ac ma-

jores,

iores, nec satis per gradus fientes ansam potissimum catarrhis præbent, quacunque anni parte, frigida tamen magis, præcipue in tenerioribus, quoties è frigore in calorem, vel è calore in loca frigidiora celerius paullò transferuntur ac degere coguntur; sensibus sunt frequentiores catarrhi, omni tamen ætati, sexuique communes. Æquabilis calor juvat catarrho pressos, mitia sudorifera, (fortiora enim augerent facile malum sero fuso ultra modum & agitato) pectoralia, succinata, bechica, mucilaginosa, blanda, emollientia, diluentia, temperantia, quandoque in frigidioribus causis errhina, fundentia, convenient. Vinum, acida, salsa non conducent in hoc statu. Venæflectio non semper requiritur. Scarificationes scopo præservandi multis utiles deprehensæ. Quosdam verò summa afficiunt molestia catarrhi, nec quidquam juvant, aliis magna præstant commoda. &c.

Narium hæmorrhagiam seorsim quoque considerare solent scriptores Medici, cum ex hac potissimum parte in quavis ætate ac sexu frequentissimæ contingent hæmorrhagiæ, vel data exterius occasione, vel à principio quoque interno sæpè ex improviso planè sine ullis indiciis prægressis.

Quoties enim animi pathemata vehementiora naribus excutiunt sanguinem, quoties sine animi commotione, corporis concitator motus, vel hypocausti calor, vel solis radii illum sanguinis fontem aperiunt, aut vini largior ingurgitatio, vel calor illius nimius, vernaque ac autumnalis tempestas, qua corporis quoque succi magis turgent, exitumque affectant quæ data porta ruentes; externæ violentiæ, casus, percussionses, irritationes qualescunque, fortiores narium emunctiones idem tota die efficiunt, ita tamen, ut sint alii faciles ac proni levissima data occasione ad hæmorrhagiam, alii nullis etiam violentiis aut injuriis externis internisve adigi eo ac disponi possint, solidioribus ac tenacioribus existentibus eorum vasculis, ac tam bene situ inter fibras commodo munitis, ut tam facile rumpi atque aperiri non possint.

Accedit quoque hæmorrhagia tanquam Symptoma ad alios morbos, uti contingit in variolis, morbillis, aliisque febribus tum continuis, tum intermittentibus, parcus nunc, nunc largius ac suspecta ratione stillante sanguine; nunc critico modo ac salutari, naturam consolante ac levante, nonnunquam symptomaticè ac gravissima quæque minante hæmorrhagia, vel saltem debilitante corpus; quamquam & extra febres largiores succedant subinde, summo etiam cum discriminè hæmorrhagiæ, ita tamen ut

multis per plures annos, imò magnam vitæ partem sit familiaris sine periculo aut fluxu nimio, imò quibusdam & commodè accidat, & necessaria sit ad præcavenda varia incommoda, vel etiam tollenda quæ jam adsunt, quæ inter præcipuè numeranda est Cephalalgia nonnullos nisi nates sanguinem stillent sæpius ac gravius affligens.

Qui sanguine acri, orgastico, ac dispositione scorbutica gaudent, frequentius eam patiuntur, quibus hæmorrhoides non succedunt, pariter huic fluxui non sine commodo suo subsunt; frequentius tamen pueri ac adolescentes ea corripiuntur, quam tenelli infantes, aut senes, utut nec hi omnino excipientur; hypochondriaco affectui familiare malum juxta varius gradus ac modos; plethorici sæpe eam optarent, sed vix ea potiuntur, quibusdam tamen salutariter ea non sine incommodo tamen frequenter vexatis. In Cachecticis, cacochymicis, hydropicis suspecta est, maximè si sanguis aquosior sit, uti fit in fluore sanguinis cachectico, quo in statu nulla arte coerceri potest, sed ad finem sæpe vitæ extillat sanguis tenuis, hocque nomine vix dignus, magis quippe referens loturam carnium; cum alias vel floridus, purpureusque prodeat, modò ater magis, aut saltem fuscus, nunc spissior, gelatinosior, statim concrescens, nunc verò tenuior, fervidior, minus glutinosus, nunc acrior, ac pungens nares, nunc blandior, mitiorque; in multis exactam servat originem prodens è nare vel dextra, vel sinistra, in aliis tamen promiscuè utrinque prodit, utut non simul; aliquando parcus stillat, quandoque confertim, imò cum impetu proruit pleno fluens rivulo; grumi aliquando augent, aliquando sistunt fluxum, illud quidem nares irritando, hoc verò obstruendo & meatus majores & minores, cum maximè sanguis glutinosior est. Non attenditur fluxus leviusculus, nec largior obest, vel plethora vel orgasmo urgente, si verò excedat modum, debilitatem corpori inducit, reliqua massa calorem concipit præternaturalem, gignitur cacochymia sensim sensimque augenda.

Cæterum ipsum Mechanismum microcosmicum, seu Naturam, ac proportionem reactionemque, quæ est inter fluida & solida, postulare subinde, ut laticis vitalis in se etiam bene dispositi excernatur pars aliquot experimentis æquè ac ratione evincitur; & sic intelligendum est, quod leges alicubi, archeum oneratum ac gravatum sæpe deplere partem alioqui utilem, ut vel liberare se, vel reliquam magis regere possit.

Exitum verò sanguis querit variis ex causis atque occasionibus, cum
orgasticus

orgasticus est ac turgescens, ac proin amplius querit sua vascula nimis extendendo spatum, cum maxime circulationis lege novus semper æquè orgasticus à tergo urgeat, cum patitur circa nares earumve in vicinia stasin, nec refluxit satis libere, sive ob spissiorem consistentiam, sive obstructas vias, cumque & acribus abundat & erosivis spiculis ac moleculis, aut tenuior est fluxiliorque; per nares autem potissimum tam facile & frequenter fluere censem, quod pars ille debilis sit, tenerior ac nudior, ubi vasa facile aperiantur, hujusque si queras causam, accusari audies vasorum rarefactionem, reserationem, laesionem aut fissionem, quæ sanè ultima seu vasculorum ruptio verisimilior videtur, cum rarefieri vasa eò usque vix possint, ut ea copia qua ex naribus fluit transudare ex eorum poris queat sanguis; palam verò est ab injuriis ac violentiis externis ex tot vasculorum quasi myriadibus aliquos quoque ramulos tumpi ac suum effundere laticem etiam bene constitutum. Quæ omnia eò magis eveniunt, si jam antea aggestio circa has partes contigerit sanguinis, aut fibræ earum tono debito destituantur, imò & in aliis oppositis casibus nimis tensæ sint.

Remediorum numerus commendatur ingens, externa plurima, collo, naribus, fronti, nuchæ, imò & manibus, pedibus, testibusque applicantur, revellendi scopo, atque refrænandi tumultuantem sanguinem, quæ tamen cautius adhibenda sunt in casibus diversis; Venæsecctio revulsoria frequens remedium est, prudenter adhibendum. Interna verò adstringentia circumspetè exhibemus, juncta refrigerantibus, refrænantibus, diuentibus, temperantibus, acidulis, nitrosis maximè, absorbentibus, gelatinosis ac mucilaginosis, acrimoniam corridentibus, anodynus moderatis; tonicis verò simul, certisque in casibus aperientibus quoque prudenter adiungendis haud neglectis.

Virus laeditur variis, pluribusque modis, exteriora ipsique bulbo conspicuè inhærentia vitia generis sunt non unius, pertinentque eò nebulæ, nubeculæ, unguium & excrescentiarum, pustularumque variæ species; quæ plerumque sequuntur diuturnam atque crebram ophthalmiam, variolas, morbillos, externas laesiones; ventos, fumos, catarrhos non succedentes aut actiores, scorbuticam sanguinis dispositionem, acresque particulas ac viscidas, talesque lachrymas frequentes; hinc enim & corneæ pelluciditas vitiari, & ejus tubuli laedi, erodique possunt, ungue succrescente, aut post pustulas cicatricula, quæ & alias sequitur laesiones, unde varia pellicularum strata sibi variè super imposita, radiosque magis vel minus

ab ingressu per corneam **impedientia**, diversas istorum malorum efficiunt species, sensim sensimque enatas ac magis magisque visum imminuentes. Auferuntur talia obstacula abstergentibus, exsiccantibus, absorbentibus, aliquando & paulò acrioribus; quò & pertinet celebris viperarum pinguedo aliaque; imò & variæ Chirurgorum subtiliorum operationes.

De **suffusione** non est quod multa dicamus, de qua hodie satis dictum disputatumque est, postquam de **Cataracta** atque **glaucomate** contra Wolhusium Heisterus tam perspicuè scripsit, res tamen jam evidentior est, cum obscurati humoris crystallini frequentia sit à plerisque agnita, pelliculam verò neque Celeb. D. Heisterus unquam omnino negaverit. Hic scilicet sensim sensimque visus fit infirmior, occursare videntur oculis tælae, nubeculae, coronæ, circuli, ductus varii, ac puncta circinata, quorum tamen non omnium eadem est ratio, cum pars suffusioni, pars aliis humorum, imò & retinæ vitiisque vasculisque turgidis sit adscribenda. Pupilla remittit de nitore suo ac nigroru, vario subtus apparente colore, modo uno modo utroque oculo paciente æquabiliter, donec tandem cæcitas oriatur radiis jam ad retinam planè non amplius penetrare valentibus quocunque demùm obstaculo impediente; hinc diversa nomina suffusionum, juxta ideam pelliculae transparentis imposita, quos tamen etiam à pellucide humoris amissa ita repræsentari posse, tot innotuit experimentis, ut negari nequeat. Varia commendantur & adhibentur remedia, externa internaque, etiam minus aptè acriora; Sola verò depositio, seu famosa acu facta operatio obstaculum illud qualecunque tollit.

Guttæ verò **serene** alia ratio est, quæ sanè affectus est eò gravior, quò magis intimas agnoscit causas, totique machinæ minantes; quemadmodum enim aliquando illa à morbis oritur, à colica spasmodica, à convulsivis motibus, epilepsia, apoplexia, ita etiam mala ista potest præcedere atque minari & nonnunquam instantia annunciare. Hic enim radiorum ad retinam admissio contingit, pinguntur ibi objecta, adeòque receptio radiorum in retina non cessat, uti legimus passim in libris, sed et si impressionem suam radii faciant in fibillæ retinæ, ista tamen impressio ad sensorium commune non potest propagari, cum nervus opticus, seu via illa per quam hæc communicatio deberet fieri, penitus sit obstructus, nullumque inter oculum cerebrumque commercium amplius sit superstes, sive nervus sit obstructus, sive compressus, sive coalitus, corrugatus, tabefactus, subsidens &c. Salva enim tum cornea, ejusque pelluci-

pelluciditas, salva pupilla, nisi quod ferè amplius soleat patere, humores sunt pellucidi probeque dispositi, adeoque radii liberè illabuntur, & tamen totalis adest cœcitas, vel sensim orta per varios diætæ errores ac morbos, vel subitò quoque emergens, varia ac sæpe mirabili tanti mali genesi, maximè sub spasmis, ubi facilior restitutio visus.

Opponuntur guttæ serenæ varia evacuantia, purgantia, vesicatoria maximè, imò setacea, fonticuli, discutientia externa acria, revellentia nuchæ apposita &c. internè nervina, confortantia, tonica, aperientia, discutientia, &c. Mercurialia quidam commendant pro casuum diversitate, imò & salivationem cum fructu adhibuit Celeb. Heisterus.

Ophthalmia malum frequentissimum molestissimumque est, calore, rubore, tumore, ac dolore, imò & suppuratione ægros plurimum affligens. Esse verò ophthalmiam speciem inflammationis in aprico est, etsi nolim requirere dicta modo phænomena in omni inflammatione, neque eam gradum auctum atque modum additum doloris ausim dicere, cum & sine dolore insigni, imò sine ullo ferè dentur inflammations, quod sæpius in erysipelaceis conspicitur inflammationibus; ac phlegmone ad suppurationem non tendens dolorifica quidem sæpe admodum est, sed sine insigni tumore, imò sæpius quoque sine ullo; dantur verò & graviores gradus & dolore, & tumore, & suppuratione formidabiles; gangrænam autem ad νέκρωσιν jam accendentem vix referas ad inflammationem. Dantur ergò & in oculi inflammatione gradus plurimi ac varietates insignes, color albus adnatæ in ruborem transit, sanguine in vasis capillari bus turgentibus stasin paciente ac peliucente, sicque bulbum tingente, aliquando rubet oculus quoque sine dolore, quandoque solæ sine bulbo palpebræ sunt inflamatæ quandoque vicinia tota; quæ & variam stillant saniem, aut humores nunc tenuiores, nunc crassiores, magis minusve concrecentes, acriores vel mitiores, aquosiores vel glutinosiores, largis etiam sæpe manantibus lachrymis, involuntariis scilicet ex glandulis palpebrarum irritatis, ac dolentibus, quem statum & *epiphoram* vocant, in aliis siccior est ophthalmia, cum sensu ardoris molesto; gradus habet plurimos, transitoria quandoque & brevior est, aliâs admodum diurna, ac pertinax, præprimis in pueris indomita; Lucem potissimum in illo statu non ferunt sine summa molestia, per integros etiam menses tenebris addicti, caput quoque reliquum in quibusdam patitur, in aliis minus, atque ab ejus scabie, hujusque vel humiditate vel siccitate sæpe mala oculorum

orum plurimum pendent, ex orta saepe capitis scabie subito sanata, siccata, vel retrorpulsa.

Frequentes, facilesque patiuntur recidivas, metuendumque ne ex diuturno malo extima oculi superficie læsa, turbata, erosaque, nebulæ, nubeculæ, imò unguis enascantur, nunc medicamentis cedentes, nunc refractarii. In malo acriori, ac pertinaciiori non superficiaria modo palpebrarum exulceratio oriri solet, quæ alias facile iterum tolli potest, sed ipsius quoque adnatæ ac corneæ erosio, ac læsio, exortæque in illis variæ pustulæ, ac protuberantiæ; rarius tamen res procedit ad ipsius bulbi destructionem, humorum effluxum, gangrænam, aut cancrosum ac malignam dispositionem malique exacerbationem, oculum è sua exturbantem quasi orbita, extirpatione nunc ad mortem, nunc ad salutem terminata juxta diversitatem casuum ac subjectorum, exempla tamen non desunt; cum quibus tamen confuudi non debet aliis status erosivus, ubi effluens ex oculis sanies adeò est acris ut faciem genasque latius erodere, atque exulcerare valeat, non sine fissuris atque ardoribus palpebrarum summis, talia enim valde periculosa saepe atque atrocia viâ & medicamentis & temporî cedunt, saepissimè sine noxa bulbi, etiam levioribus unguiculis facile exsiccatis & absuntis.

Eveniuntque tales oculorum inflammationes varii generis ac indolis nunc ab externis causis, nunc ab internis, natura querente emunctoriū per quod molestas sibi deponere queat humores, atque incommodè eti gente oculos, à fumis, ventis, vini abusu, morbisve, aut lucubrationibus læsos ac irritatos, & debilitatos, accedente sanguine orgastico, acri, ca cochymico, scorbuticoque subinde; talis enim orgasticus fervidusque sanguis facilè hic stagnare potest, ac ea quoque vascula explere ad turgescientiam usque, quæ alias inconspicua sunt, in interstitiola quoque effusa sanguinis æstuantis portiuncula, neque opus est, ut juxta quorundam opinionem, lympha alimentaris ob fervorem salinum in glandulis conceptum, aperiat magis poros, ut sanguis alioquin exclusus & prohibitus irruat, hoc enim facilè ipse præstat sanguis stasin passus & aggestionem, novis à tergo undis urgentibus, nec promoto jam antea vascula occupante. Acrimonia tum sub ipsa stagnatione diurna fit major, discussio difficilior, perpetuus stimulus novos advocat humores ac irritat continuò serum acre vel glandulas potius id largius stillantes, hucque convehentes; cum ob viciniam tot capitis glandularum plurimi catarrhi huc destinentur

tur quasi à natura & parte seu oculo jam in fibris suis debiliore, ejusque glandulis atonia affectis gravius illa multatur ab istis huc confluentibus consuetudine quasi quadam sordibus, si præprimis accedant externæ occasions, diætæ vitia, infantumque remedia in principio non admittentium pertinacia. Visus sæpè hinc multum debilitatur ac imminuitur, pluri tamen liberantur à diuturnis oculorum malis sine visus per totam vitam labe.

Remedia commendantur numerosissima; vesicatoria, fonticuli, venæsectiones, sacrificationes, sinapismi revulsorii, collyria paregorica, absorbentia, defensiva, dissipantia, mucilaginosa, cum vel sine camphora, nunc cum fructu nunc in malo pertinaci sine fructu adhibentur; sæpe enim à solo tempore atque ætate mutata melior expectandus est oculorum vel oculi status. Cavendum à remediis acribus, vitriolicis, irritantibus malum &c. nec tutæ semper sternutatoria &c. frigus maximè, lux, fumus, lachrymæque fugiendæ. Interna cumprimis medicamenta, nervina, absorbentia, temperantia, refrigerantia, gelatinosa, acrimoniam humorum corrigentia, cephalica ac tonica conducunt, si maximè diæta congrua rerumque non naturalium usus accesserit circumspectus ac malo huic conveniens. Cæterùm neminem latet qnàm *diffusa* hodiè sit ista de Oculorum Affectibus doctrina, postquam Wolhusiana, ac Sant-Yviana industria atque æmulatio Theoriam æquè ac Praxin istiusmodi malorum in amplissimum Systema diffudit, nec deessent quæ moneri possent circa inventa hæc recentiora, siquidem præstituta nobis brevitas, chartarumque angustia plura admitteret, cum pleraque attentionem summam, tantamque in praxi circumpectionem requirant, quam præstare non nisi illi queant, qui & mirabilem oculi structuram intimè habent perspectam, mentisque & oculorum acie, ac manuum dexteritate summa sunt instructi.

Eademque chartarum angustia haud sinit nos pro dignitate *auditūs* *viticæ* heic describere; ne tamen de iis planè sileamus monet ipsa sensus tam nobilis dignitas; Tot sunt in mirabili ejus organo machinæ, tot machinularum combinationea, ac respectus mutui, ut ex ipsa illa insigni varietate non possint non nasci occasiones innumeræ lœdendi hanc sensationem.

Quam facile enim in meatu, in tympani musculis ac membrana, in ipsa denique nervi mollis in cochleæ, ac labyrinthi aufractibus sive per zonas, sive per filamenta, aut membranaceas expansiones distributione ac gyris lœsiones oboriri queunt auditum, vel imminuentes, vel depravantes, vel penitus abolentes?

Quæ-

Quærere etiam heic solent, an aucta actio locum habeat? nec diffi-
tendum est casus istiusmodi Medico subinde offerri, ubi ægri vix ferre lo-
quentes valeant, ita ut vel leviores ac consueti aliâs soni nunc ipsis vide-
antur prorsus intolerabiles, ob teneritudinem organi auditus ac tensarum
suo modo molliusculi nervi fibrarum; quod & evenisse meminimus post
diuturnam auditus difficultatem, exilibus etiam sonis tum illis auribus
molestis redditis, quæ antea ne quidem intensiores distinctè perceperant.
Etsi negandum non sit, hanc organi extraordinariam ac præternaturalem
sensitatem ad actiones depravatas referri quoque commode posse.

Meatus vitia allegavimus; frequens enim est malum ipsius obstruc-
tio, adeò ut exempla suppetant surditatis ab illa unicè dependentis, ac u-
bi indurata in obturaculi modum cerumina, sordesque omnem sonis adi-
ctum diutissimè præcluserant, qui perceptibili illicò ad organum allapsu
ægros exhilararunt, postquam emollientibus caurè adhibitis ex meatu ex-
tracti fuere obstruentes, induratique cylindri.

Quò acutior naturaliter est ille sensus, tenui aeris sibilo ac undula-
tione sæpè lenissima commovendus, eò plures imminuti auditûs usque ad
omnimodam sublationem gradus sunt. Generalis verò atque immedia-
ta causa tum in aeris undulatione ab intimo auditûs organo magis vel
minus exclusa, tum & in auditorii nervi læsione ac prava dispositione
quærenda est. Uti enim de visus læsione monuimus, radios aliquandò
ad organum haud appellere, aliquando autem iis licet appellantibus eo-
rum impressionem ad sensorium commune haud posse pertingere; ita &
in auditu læsio aëris tremores vel ad mollis nervi fibrillas cochlearæ ac se-
micirculis circumvolutas haud pertingunt, ob partium intermediarum
obstructionem, relaxationem, &c. vel si etiam ad interiora allabantur
quodammodo, nervulorum istorum vel relaxatio, vel obstructio, vel in-
duratio, vel innumeræ aliæ partium hic combinatarum læsiones efficere
possunt, ut ad sensorium commune haud propagetur debitè undulatio so-
num cerebro impressura.

Depravationes verò auditus, non in subauditione solum, sed & in
tinnitus, ejusque mirè variantibus speciebus, ab orgasmico sanguine, ejus-
vè aggestione in vasculis organi, à flatibus aliisque plurimis causis ori-
tibus, Medici attentionem potissimum merentur. Patetque hinc facile
quænam huc conferant remediorum classes, pro causarum, scoporumque
diversitate; nervina ac Cephalica omnem faciunt paginam, quibus inter-
nè,

nè, externèque conjunguntur specifica, si quæ sint, vel saltem appropriata affectui à tot diversis oriundo causis.

Supra jam, cum de Catarthro esset sermo, *Uvula, tonsillarumque attigimus tumorem*, qui & *angina spuria* titulo nonnullis in casibus certis appellatur; intumescent illæ glandulæ vel solæ, vel cum aliis quoque vicinis simul seri stagnatione turgidis, atque adeò vel interius solum in tonsillis uvulaque tumor conspicitur, vel in adjacentibus simul partibus, imò & in paulò remotioribus, atque exterius intumescentia comparet, nunc cum ardore ac dolore in causa paulò calidiore ac sicciori, nunc absque ullo ferè dolore, aut saltem leviori, ac molestia potius quadam in deglutiendo, ac constringendo faucium isthmo, deglutitio enim magis, minusve pro gradu, ac tumoris ratione impedita est; si autem glandulæ sub mento, vel ad maxillarum latera, aut parotides simul tu- meant, variis id iterum doloris molesti æque gradibus ac modis contin- git, malo vel breviori vel diuturniori.

Uvula intumescens, quam & *prolapsus* vocant, molesta admo- dum est irritatione perpetua, cum quasi continuò deglutienda faucibus immineat; easque laceffat; plerumque uvula ac tonsillæ simul intumes- cunt, cum inflammatione nonnunquam, imò & exulceratione, nunc gra- viore, nunc leviore, adeò ut vel absumpta fuerit visa uvula, quà majo- rem, minoremve partem, sermonemque hinc magis minusve in sono im- mutatum testentur observationes. Exulcerationes maximè venereæ hic at- tendendæ, admodum pertinaces ac difficulter sanandæ, nisi malo peni- tius subacto ac destructo. Ista verò uvulae, ac tonsillarum, fauciumque intumescentia frequens est, & nonnullis maximè familiaris qui magis ob- noxi sunt catarrhis ac stasibus serosis circa has partes, ubi in nonnullis quædam quasi ex crebriori accessu consuetudo, intercedit, ob partes jam debilitatas ac malo proin facilis expositas; oritur verò vel cum febri catarrhali, vel sine ea, eaque vel leviuscula, vel eminentiori subinde; à fri- gore, ventoque, & tempestate humida ac frigore facile oritur, & assump- tis frigidis; alia tamen ratio est istorum tumorum, febribus malignis supervenientium ac parotidum.

Affectus verò pro causæ ratione variat, prout scilicet serum vel visci- dius, mucilaginosum ac mitius est, vel acrius, tenuius, falsius, pro san- guineæ massæ constitutione vel pituitosa, viscidiuscula, vel biliosa acriore; unde stases, tumoresque vel facilis vel difficilius dissipabiles, magis vel

minus dolorifici, magis minusve fixi; hinc erosiones in statu acriore, scorbutico, venereo, unde & quandoque ex crescentia suffocationem minantes. Anticatharrhalia hic quoque juvant, diaphoretica, incidentia, abstergentia, vulneraria, emollientia, digerentia, resolventia, paregorica, purgantia quoque pro re nata; externè gargarismi varii vel ex lacte cum emollientibus cocto, vel cum herbis vulnerariis, abstergentibus atque adstringentibus parati, additò & subinde nitro. In uvula quoque tumore ac propendentia varii pulveres adsperguntur adstringentes, succinum maximè pulverisatum.

De strumis ac scrophulis multa haud dicemus, in tanta tumorum istorum varietate nunc plures nunc pauciores colli glandulæ magis vel minus excrescunt, & nisi mature dissipentur, indurescunt atque in scirrhosam abeunt duritiem; probè tamen distinguendum inter strumam, collique crassitiem, ac quandam quasi magis æquabilem inflationem, multis respiratione constricta molestam; uterque tamen affectus potest à partu difficile, à graviore nisu in oneribus levandis, à vocis emittendæ conatibus nimiis ac assiduis, oriri; habent & strumæ quandoque nexum cum glandulis mesenterii tumefactis; disputant verò an aquæ nivales, frigidæ, nitrosæ efficiant in regionibus quibusdam strumas tam numerosas. Hoc certum est in frigore potissimum quæri alias coagulationis & staseos lymphæ principium, quod tamen & acido commune est; nitrum verò magis discutere ac obesse talibus concretionibus videtur; dubiumque adhuc est, an nivi insit nitrosi quidquam? quibusdam in juventute, aliis in senio demum increscunt istæ glandulæ, atque ex occultis parvulis fiunt magnæ, conspicuæ, imò maximæ ad stuporem usque, neque tamen appositè dixeris, ex conglomeratis eas fieri congregatas; pro statu autem humorum hic stagnantium atque induratorum ipsiusque sanguinis sunt vel dissipabiles, vel magis indurescunt, scirrhosi fiunt, imò & subinde cancrosi, rebelles, ad suppurationem quoque infausto omine tendentes. In principio discutientia, emplastra efficaciora, d. melilot. diaphoreticum, de ranis cum Mercurio, imò & tacamahaca juvant. Quid manus mortuæ applicatio valeat, aliaque externa similia controverti adhuc ac disputari audias.

Angina exquisita est malum periculosissimum acutèque decurrens; Nec cum illa confundendus est aliis quicunque faucium status ac tumor, aut qualiscunque inflammatio, in quo liberior adhuc respiratio est, cum febri

febri aliqua, (nam & aliquando talis spuria ac levior angina sine febre potest evenire.) Neque etiam cum illa plane eadem est dispositio illa varia faucium ac colli in Hungaricis, malignisque febribus, imò & in peste, & in dissenteria, aliisque affinibus morbis, uti v. g. variolis; cum lingua est arida, sicca, fissuris hians, tumida, nunc rubra, nunc fusca, & quasi tandem nigra, necroſi altius emergente, (cum in aliis albo saltem lentoque obducta sit muco) hæ enim cum symptomatica junguntur febri; cum *exquisita* primariâ, acutissima, malignaque febri sit stipata, inferens non deglutitionem modò diffcillimam, maximè dolorosam, cumque anxietate summa conjunctam, sed respirationem ferè intercipiens, cum periculo suffocationis, ut ne erecta quidem cervice spirare nisi diffcillimè possint; malignitas morbi, brevi decursu satis manifesta, ac exitialis nota est, et si morbus non adeò in *exquisita* hac indole sua sit frequens, et si quandoque epidemica fuisse dicatur, ubi tamen procul dubio varios habuit gradus. Tumor verò ipse nunc major, nunc minor, magis nunc interiora occupat faucium, nunc ad externa protensior; nunc in superioribus hærens, nunc profundiora aggrediens occupansque; prout verò gravius malum magis ad pulmones extenditur per asperam arteriam, vel ad ventriculi magis regionem pertingit per gulam, vel utramque afflit coniunctissimam tot modis regionem, variant & symptomatum dolorum ac molestiarum circumstantiæ, majori nunc suffocationis existente periculo, modò majore ardoris dolorisque prunæ instar ardentis versus cordis scrobicum sensu.

Varia interna, externaque mala, aëris injuriæ, frigus, frigidaque assumta, tempestates noxiæ sanitati, externæ in has partes violentiæ, venena assunta, & totalia sanguinem h̄c in stases cogere apta tanto malo præbent initia, & quandoque ipsæ, quæ in sanguine oriuntur, turbæ, huc suum deponunt virus impetumque, terminandi autem modus varius esse solet, exquisita ad mortem facile terminatur, ac crebrò, uti & illæ, quæ in febribus malignis superveniunt, anginosæ dictæ infiammationes fauci- um aliæ satis iterum commodè discutiuntur, & quandoque in abscessus abeunt, per suppurationem terminandos; scilicet iste sanguis stagnans, si in pus non citò abeat, in gangrænosum ac sphacelosum statum facile delabitur, circulo sanguinis planè jam cessante ac parte proin mortifica- ta; quæ vel vehementiora eveniunt vel mitiora pro sanguinis majori vel minori acrimonia, impuritate, ac stagnatione; proque fibrarum robore

magis minusve debilitato, vi cuius istæ in discutiendo subigendoque tu-
more magis vel minus valent.

Venæsectionem quidam commendant, quidam in Epidemico malo
vetant, in principio tutior erit, quām in progressu, malignitate existen-
te majore, viribusque dejectis; sub lingua quidam instituunt illam,
quod & nonnunquam cum successu fit, cautè tamen & hic mercandum,
cum aliquando difficile sit sanguinem fluentem iterum sistere ac coērce-
re, quod sēpe graviter angit chirurgum in majori sanguinis æstu. Gar-
garismi, imò potius injectiones eorum decoctorum per siphonem, ex
emollientibus adhibentur, vulnerariis ac discutientibus, lenientibus, ni-
trosis, cautè tamen adhibitis, quandoque & lacte cum emollientibus co-
cto opus est, nonnunquam utrisque interpolatis; quidam eo scopo Spi-
ritum vini adhibent, quod forsan haud æquè semper tutum fuerit, nisi
in principio forsan, ubi & cum aqueis posset tamen misceri, cum solus
nimium irritare videatur, et si potenter discutiat stasim, emplastra emol-
lientia, cataplasmata varia, etiam id, quod cum nido hirundinum adeò
commendari solet, applicantur. Primas tamen partes, quamdiu id li-
cet per deglutitionis obstacula ac difficultatem, tenebunt remedia inter
bezoardica, atque alexipharmacæ temperata, nitrosa, absorbentia,
mitia, temperantia, diluentia, discutientia blanda, mucilaginosa,
pectoralia &c.

